

Appendix. — Europa Nro. 56.

Regnum Mortuorum.

Sermo politicus de mercibus colonialibus.

Elisium Meum 28. Junii 1808.

Thema.

Quis scit, an somnium meum hodie, aut cras adimplebitur.

Somniemus hodie cum Annalibus Europaeis, hoc somnium erit surrogatum mercium colonialium, quod hodie est thema generale speculantium; Bene! quis scit, an somnium meum hodie aut cras adimplebitur. Imaginemur nobis quam vivacissime, nos esse adeo felices, ut Caffée, sacharum, gosiopium, indigo, omniaque aromata, et ligna colorata circum gasam nostram reperiamus; ponamus vero, reliquas etiam totius mundi provincias parem nostrae habere fortunam, quomodo intra 50 annos prospiceret Europa? — Minimum, quod nobis eveniret, esset, quod ad gradum culturae Chinensium, post centum annos autem ad Irokesarum recidamus. Nullum tunc foret commercium, nam omnis omnia ferret tellus; nullae fabricae, quae pro exteris laborarent, nam et illi, sicut nos, reppererunt surrogata; nullae artes, quia has nutrit circulans, non in cistis recondita pecunia. Scientiis pariter carere poterimus quia producta domestica omnibus necessitatibus sufficiunt, quae secus incitamenta sunt expeditionum commercialium, bellorum, processuum, et speculationum; et sic plus quam dimidietas Geographorum, historicorum, tacticorum, advocatorum, commercii, et collegiorum commercialium recidet ad Acta de *praeterito*. Nulli amplius tractatus commerciales, ideo nullis opus Diplomaticis, aut Legatis. Nemo amplius peregrinabitur, ne quidem otiosi, et curiosi Oculenti, quia domi omnia inveniunt. Nemo discet lingvas, aut quaeret culturam per conversationem, sola astronomia manet pro aulis, quibus tempus taedio est, quemadmodum in China, et sola medicina extendet sphaeram activitatis suae, quia nova surrogata propter abundantiam omnium, stomachos destruent; habebimus ergo summam felicitatem in se ipsam reclusae civitatis, ubi prae mera felicitate, quod omnia domi reperiantur, aula, et urbs prae otio tabescent, et letargo involventur, quia in summitate Poli perfecti-

onis stant, nihil eminentius, ad quod eluctentur, habent, nisi forte Ideale unius domus commercialis phantasiâ hominum occuparet, ubi pater Caffé, et Sacharum, quod in proprio horto crescit, pro frugibus, quas filius in campo seminavit, et pro lana, quam alter filius qua opilio producit, permutat, et pro cujus filatura uxores productis in natura solvuntur.

Antequam hocce perfectionis punctum assequamur, gratulabimur nobis, quod mundus tantam productorum varietatem habeat, quod tam magnus scit, et tamen mensurari possit; Maledicemus illi, qui Oceanum suam privatam putat esse proprietatem, et laudabimus eum, qui hunc liberum efficere, tantumque nobis pro aquirendis necessitatibus, et usibus nostris campum aperire vult. Quemasmodum vino, ita non sabis arabicis, non sacharo, non gosipio renunciare volumus, sed volumus horum omnium patriam nobis propriam reddere, usumque horum ab ingrata illa memoria separare: quod hæc per mancipatum non parvae generis humani partis aquiratur, ac non tantum, quo fieri potest, minimam pecunie summam pro iis evehere, sed potius, multiplicando inter homines eorum necessitatem, pecunias invehere. Declament licet Statistici, et Moralistæ de restringendis necessitatibus, quibus ipsi succurrere non possunt, quantum velint, tamen pro fortuna non aliud evincere possunt, quam evidentissimam probam, quam parum intelligant, quid illud sit, quod artes, et scientias fovet, quod item commercia et industria humano generi dulcissimos fructus ferat, et ipsam vitam hominis gratam, optabilemque efficiat.

Germania adeo abundat sistematibus omnis speciei, ut, si illa in lapides converterentur, ex iis murus chinensis circa totam patriam nostram duci posset. In hac farragine tot sibi contrariantium phantasiarum forte tamen esset saltem una, quæ lucem fugere, ac si propagaretur, erubescere non deberet; quod pro tota Germania salutare esse posset, cujusque realisatio non absolute ad regiones impossibilitatum pertinet, præsertim si aures cujuspîam principis ad eam excipiendam præparatae forent.

Disserueram jam, memini, de necessitate, ut Europa sibi novum formet sistema coloniarum; hanc necessitatem videtur Gallia cumprimis sentire, ubi videt, impossibile esse absque coloniis subsistere; impossibile amissas suas Colonias recuperare, et regulare; hinc videtur Imperium hoc illud planum habere, ut Americae Colonias cum suis productis in Africam ad mare Mediterraneum transferat, ac præter ingentia hæc commoda illam etiam gloriam sibi demereatur, quod mancipatum Aethiopum, et profes-

sioner
manita
cluso
despo
confec
tibus
suffici
sedem
frequ
tantog
prima
non p
Hic i
pariter
praecu
lineati
illam
tis non
Caffee
mniun
C
ipsius
pellent
quibus
Germa
pariter
prema
Colon
cipum
Gallia
ad reg
sint p
test re
lonista
domin
Quam
vium
nihil co
in Afr
quas h
rales,
etiam
nostra
madme
merces
nisi A
triam

sionem pyriticam barbarorum, duplex scilicet hocce humanitatis opprobrium, et flagellum, everterit. Gallia, occluso Anglis mari mediterraneo, franget partem essentialem despotismi eorum commercialis. Jam cum Algiriensibus pax confecta; expeditio in Affricam forte unus e primis eventibus futuru est, quem attonita stupebit Europa. Sed non sufficit sola Affricae littora occupare, ast oportet ibidem sedem figere, missis eorsum Colonis ex Europa, quae quo frequentiores, eo firmiter erit possessio hujus antiqui orbis; tantoque leviori venient nobis producta Meridiei, quae jam primae necessitatis objecta apud nos evaserunt. Gallia sola non patet immensas has regiones colonis providere. — Hic incipit meum planum — *Principes Germaniae debent pariter eo Colonias mittere.* Nolo ego sapientiae Cabinetorum praecurrere, sed liceat mihi idealem hujus operationis delineationem exhibere; hoc patrioticum somnium ad minus illam habebit utilitatem, quod anxietatem praesentis aetatis non nihil dispellat; nec metuo, ut impingam, quia omnes Caffeeptos, et Cameralistas pro me habeo. En ergo somnium meum!

Gallia evadet Domina littorum Africae, et hoc ipso ipsius provinciae. Populi, qui nunc illic habitant, non expellentur quidem patria sua, quia sunt ingentia deserta, quibus colendis solae gallicae Coloniae non sufficient, ideo Germaniae quoque Principes ex conventionem mittent suas pariter eorsum colonias. Dominium eminent, et jura supremae potestatis erunt penes Galliam, sed regiones, quas Coloniae Germanorum obtinebunt, erunt dominia Principum, qui Colonias illuc miserunt, quorum relatio ad Galliam eadem erit, quae est nunc Mediatorum Principum ad regnantes Principes. Licet colonistae suam habituri sint proprietatem (nam sine proprietate nulla florere potest regio, aut Colonia) hoc tamen non impediet, quin colonistae decimam partem productorum suorum in sigoum domini eminentis Principibus suis in Europam mittant. Quam pulchri proventus camerales, si quotannis par navium, mercibus colonialibus oneratarum adveniat, quae nihil constant, quam solutionem aliquot Decimatorum, quos in Affrica servare debebunt, et sic igentis illae summae, quas hactenus Angli abliguriebant, venient in cassas camerales, et nos producta colonialia levius habebimus; reliqua etiam quantitas poterit per permutationem erga producta nostra aquiri, nec opus erit nundinis exclusivis, ubi, quemadmodum in colonis anglicanis hodiedum fit, nonnisi merces anglicanae colonistis, et ab his producta sua nonnisi Anglis vendi possunt, cum hae novae coloniae patriam originis semper aliis praeferant, et quia restrictio

liberi Commercii cum productis suis enecat ipsam industriam, impeditque multiplicationem artificiosarum necessitatum, pro quibus productis industriae Europaeorum indigerent. Haec restrictio liberi commercii est causa, cur Hispani et Galli ex coloniis suis, licet auro divitibus, ea commoda non acceperint, quae olim Graecia ex liberis coloniis suis hausit.

Dicit forte quis: Longo tempore opus esse, donec haec operatio fructus ferat. Falsum: frutices gossipii quotannis seminantur, et quotannis fructus ferunt, et planta Caffee, ac sachari quovis triennio maturescit. Terra Barbariae est adeo fertilis, ut absque omni propemodum labore semen tricesies reddat. Caeli temperies est salubris. Labores manuales, quibus Aethiopes in India occidentali cruciantur, perficiuntur hic ope aratri, et aliarum machinarum, ut agricola europaeus minori labore hic sua producta aquirat, quam in patria sua. Nunc finge tibi industriam Germanicam, et studium artium in Arabiam transplantata; homines, qui domi in extremam delapsi pauperem, hic novam patriam lacte melleque fluentem reperire; quid ex hac patria intra 50 annos fiet? Quo deveniet aliquando natio Germanica? Semen quercus est parvum, sed ipsa quercus saeculis eget ad maturitatem; nationes adhuc longiori egent tempore, sed hoc ab seminando deterrere non debet, praesertim ubi semen jam seminanti fructus fert — *sed oblitus sum, quod somniam.* —

Ephemerides Bajonnenses memorant: Agentes Angliae nullis pepercisse mediis, ut populum in Hispania ad tumultus concitent. Populus Valenciae coegerat ejectionem commendantem ad promulgandam seditiosam proclamationem, sed mox disperserant Copiae seditiosum vulgus: Non secus erant etiam in *Logrono*, *Reparsa*, *Torquenada*, *Sigovia*, et *Tudela* tumultuarii motus, qui tamen advenientibus gallicis copiis, sedati sunt. — Baro *Wincent*, quem Parisios profectum fuisse nuper legimus, et de quo publicae litterae vulgabant; in rebus status majoris momenti illic morari, est Nanneti in sinu familiae suae, unice propriis negotiis occupatus, adeoque missionem publicam non habet.

Nova Misantropia.

Si quis characterem, et vitae rationem multorum seculis haud obscurorum Mistarum in templo musarum novit, et videt, quam acutus eorum calamus, et quam debile ingenium; quam sublimia verba, et quam humile cor; quam morales eorum libri, et quam turpes eorum actiones sint — huic certo ignoscenda est species quaedam Misantropiae litterariae — Ergo peto veniam.